Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

xlvi. Sed videri quia caro erant: carnalia sapiebant: nec spiritualis loquelam. Et de quo templo diceret: per evangelista nobis aperuit. Sequitur enim. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Theophil. Ex hoc appollinarius contradictionem sumit volens ostendere quod caro christi esset inanimata. eo quod templum sit inanimatum. Ergo carnem christi et lapideam et ligneam facies: quia ex his templum consistit. Si autem quod dicitur. anima mea turbata est. et potestatem habeo ponendi animam meam. nequaquam dici dixeris: ubi pones illud. In manus tuas commendo spiritum meum. Non enim hoc de anima irrationali intelligere poteris. Neque quod dicitur. Non derelinques animam in inferno. Orig. Ideo autem corpus domini templum intelligitur: quia sicut templum gloriam dei continebat habitantem in ipso. Sic corpus christi representans ecclesiam: unigenitum continet qui est ymago dei et gloria. Criso. Duo autem erant que obstabant discipulis: ne mox intelligerent. Unum ipsa resurrectio. alterum vero quod maius erat. scilicet quod deus erat qui in illo corpore habitabat. quod dominus occulte ostendit dicens. Solvite templum hoc et cetera. Et ideo subditur. Cum ergo surrexisset a mortuis. recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat. de corpore suo et crediderunt scripture et sermoni quem dixit ihesus. Alchuinus. Ante resurrectionem enim non intelligebant scripturas quia nondum acceperant spiritum sanctum. Sed in die resurrectionis apparens dominus aperuit discipulis sensum ut intelligerent que de ipso scripta erant in lege et prophetis. et tunc crediderunt scripture prophetarum qui predixerunt christum tertia die resurrecturum. et sermoni quem dixit ihesus. Solvite templum hoc et cetera. Orig. Secundum anagogem vero quod plenitudinem fidei attingemus in magna corporis resurrectione totius corporis ihesu. id est ecclesie eius. cum fides que est ex specie multum differat ab ea que est per speculum in enigmate. Beda. Prius evangelista narravit quid dominus ierosolimam adveniens gesserit: nunc

Cum autem esset ierosolimis in pascha in die festo multi crediderunt in nomine eius videntes signa que faciebat. Ipse autem ihesus non credebat semetipsum eis eo quod ipse nosset omnes et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

vero eodem ierosolimis commemorante quid ab aliis erga eum actum fuit: refert. Unde dicitur. Cum autem esset ierosolimis in pascha in die festo. multi crediderunt in nomine eius. videntes signa que faciebat. Orig. Respiciendum autem quo ex signis eius plures quidem videntes crediderunt in eum. Non enim dicitur prodigia fecisse ierosolimis: nisi forte aliqua facta sint in scripturis non habitur. Animadvertite vero si possibile est in miraculis deputari quod fecerit flagellum ex funiculis et cunctos ex templo expulerit. Crisosto. Prudentiores autem fuerunt discipuli qui ad christum accesserunt non propter signa sed propter doctrinam. Grossiores quidem per signa trahuntur: rationabiliores per prophetias seu doctrinam. Unde subditur. Ipse autem ihesus non credebat semetipsum eis. Aug. Quid sibi vult hoc. Illi credebant in nomine eius. et ipse ihesus non credebat semetipsum eis. An forte non credebant ei et fingebant se credidisse. Sed non diceret evangelista. Multi crediderunt in nomine eius. Magna ergo res et mira. Credunt homines in christum. et christus non se cre